



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Sect. 3. Solvuntur opposita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

tu acquisito, ut apparet in exemplo de aegrioto adducto num. 153. Quare, sicut virtus non dividitur adequatè in Theologicam, & moralem ex dictis num. 67. ita neque actus virtutis dividitur adequatè in Theologicum, & moralem, quin potius inter actus virtutis ab eadem virtute procedentes, alij procedent adequatè ex parte principij stabilis, alij inadæquatè; alij pertinent formaliter; alij solum partialiter reductivè ad illam virtutem; unde virtus considerata in ordine ad suos actus tum formales, tum partialiter reductivos, præscindit ab eo; quòd attingat intrinsecè, vel extrinsecè suum objectum formale.

## S E C T I O III.

## Solvuntur Opposita.

164. **O**bjicies 1. ex Scoto; licet istæ propositiones, *Deus est trinus, Verbum est Incarnatum*, non sint ex terminis notæ, atque adeò postquamlibet notionem ex illarum terminis, & naturaliter habitam maneant nobis neutræ, id est neque veræ, neque falsæ; nihilominus habitus fidei supplet causalitatem terminorum, & vi sua determinat intellectum ad assensum immediatum rei per se obscuræ; ergo motivum habitus fidei non est prima veritas in cognoscendo, & dicendo; sed veritas ipsa terminorum. Probatür aut. licet propositio aliqua sit nobis ex terminis nota imperfectè, & obscurè, ut multoties accidit, at ex frequenti repetitione actuum, quibus habitus intenditur, jam ea propositio initio non satis clara, evadit tandem clarissima; & notissima; ergo potest eodem modo per habitum fidei per se infusum suppleri causalitas terminorum. Confirmatur. Ex intensione habituum crescit promptitudo, & inclinatio ad assensum scientiæ, ut experientia constat; ergo eodem modo totalis, & omnimoda determinatio ad firmum assensum divini fidei provenire poterit à præstantissimo habitu fidei per se infuso.

165. **R**espondeo neg. ant. ad probationem conc. ant. & neg. consequentiam; nam, licet unusquisque habitus repetitione, & usu actuum perficiatur in suo genere, etsi propositio nota efficiatur notior; at habitus ex repetitione actuum non crescit, neque perficitur in diverso genere. Unde habitus fidei suppleri non potest evidentiam, & causalitatem terminorum: nam habitus fidei deservit ad assensum obscurum, & inevidentem; assensus autem obscurus, & inevidens genere differt à claro, & per se noto; quare incrementum habitus fidei, cum non possit esse in diverso, sed in suo genere, dirigi non potest ad assensum per se notum, sed ad majorem virtutem in ordine ad actum bonum; & inevidentem; sic opinio quantumcunque intensa non potest transire in scientiam, neque conclusiones scientiæ in prima principia; si enim habitus fidei suppleret causalitatem, & motionem

terminorum, jam illa propositio *Deus est trinus, & unus*, præsentè habitu fidei fieret evidens, & per se nota ex terminis; nam causalitas terminorum consistit in hac evidentia, qua termini apparent clarè inter se connexi, proindeque habitus fidei generaret assensum evidentem, qui eo ipso non esset actus fidei, sed intellectus primi principij; cum non esset incrementum in genere fidei, sed diverso pertinente ad prima principia.

Ad confirmationem concessio antecedente de habitu acquisito deserviente ad facile posse in genere; neg. consequentiam. Ratio est; quia habitus fidei per se infusus non dat potentiam ad assentiendum mysterijs per se obscuris, nisi ubi adest motivum sufficiens ad firmissimam fidem illis adhibendam; quale est illud, quia DEUS summè sapiens, & verax revelavit; sic habitus scientiæ nunquam inclinat intellectum, ut assentiatur conclusioni immediatè propter se sine ullo ordine ad præmissas; aliter produceret actum, qui non esset scientiæ, sed assensus primi principij, quod implicat. Quare, cum habitus fidei infusus non inveniat infallibilitatem sui generis, necessariam scilicet ad credendum actum divinæ fidei, nisi innitendò infallibili DEI testimonio, per actuum repetitionem acquiri duntaxat potest major facilitas ad assentiendum propter DEI testimonium; non autem potest acquiri virtus ad habendam evidentiam terminorum.

167. **O**bjicies 2. Licet mysteria revelata v. g. *Deus est trinus, & unus, Verbum est Incarnatum*, sint ex se neutra; ad eum modum, quo hæc altera propositio, *astrasunt paria*; nihilominus potest, & debet suppleri ab habitu fidei causalitas terminorum; ergo absque ullo alio formali motivo habitus infusus fidei determinat intellectum ad assentiendum mysterijs revelatis. Probatür antec. non possum assentiri mysterio revelato, quia DEUS testificatur, nisi assentiendò divino testimonio revelanti; ut nos fatemur à num. 59. & 63. atqui istud divinum testimonium apparet nobis neutrum, & nihilominus ad assentiendum illi determinatur ab habitu fidei; ergo, licet ipsum mysterium revelatum appareat nobis ut neutrum, possumus per habitum fidei determinari ad assentiendum illi. Probatür min. vel assentior testimonio Dei per aliud testimonium Dei, & sic procedo in infinitum, quod dici non potest; vel assentior testimonio Dei absque ulla ratione formali assentiendi, scilicet per ipsum habitum, qui immediatè determinat intellectum ad assensum, atque ita supplet causalitatem terminorum respectivè ad testimonium divinum; ergo quamvis testimonium divinum appareat nobis ut neutrum, nihilominus habitus fidei determinat intellectum ad assentiendum illi.

168. **R**espondeo nego antec. ad probationem conc. maj. & neg. min. ad probationem dico, me assentiri testimonio DEI dicentis sufficienter ratione ipsius testimonij non quidem, ut apparet neutrum, sed quando est præviè cognitum

gnitum per alia media, scilicet per signa credibilitatis, quibus nobis sufficienter applicatur, & cognoscimus Deum revelare mysteria fidei, quæ ab Ecclesia Catholica nobis credenda proponuntur; argumenta enim illa probant revelationem evidenter credibilem, & quamvis in parvulis, & rudibus necessaria non esset evidentia ex merito rationum habita, ut aliqui docent, de quo infra latè dicemus, requiritur tamen carentia retrahentium, & motivum, quod sit affectum ea carentia, atque illustratione Spiritus Sancti, quæ non deficit facientibus, quod est ex se, ut intellectus excludat omnem formidinem de eo, quòd Deus ipse loquatur; præsupposita autem sufficiente approximatione intellectus ad divinum testimonium, jam intellectus per actum fidei facile potest assentiri mysterio revelato, propter divinum testimonium, & testimonio ipsi propter se, ad eum modum, quo posita cognitione de bonitate objecti, potest postea voluntas amplecti objectum propter bonitatem, & bonitatem propter se: ex quo facile evitatur processus infinitus in ordine ad aliud, & aliud testimonium divinum, quamquam Deus, si velit, possit unum testimonium per aliud revelare, ut reverà revelavit omnia sua testimonia vera esse, ut diximus num. 63. quapropter habitus fidei neque circa mysteria revelata, neque circa ipsum testimonium DEI revelantis, potest ullo modo supplere causalitatem terminorum.

169. Quapropter falsum omnino est, quod Bannex, & alij Thomistæ dicunt, nempe habitum fidei comparari habitui primorum principiorum; si enim mysteria fidei credenda non sunt ex terminis nota, ut dictum est, & constat ex ipsa natura fidei, sed sunt obscura. & nullatenus conciliant assensum, sed potius ab illo sæpè retrahant; cum intellectus difficillimè possit veritates illas capere propter rationes, quæ repræsentantur in oppositum, ut in mysterio Trinitatis, alijsque nostræ fidei mysterijs facile pater, habitus fidei comparari nequit ad illa, tanquam ad res ex terminis notas; neque mysterijs illis assentiri potest, nisi mediante motivo suadente illorum veritatem, quale est divinum testimonium testificans, illa mysteria vera esse, quod quidem testimonium divinum tum per signa credibilitatis, tum per evangelicam prædicationem proponitur credenti absque ulla formidine; quo fit, ut intellectus, ita approximatione testimonio divino, possit assentiri per actum fidei mysterio revelato propter testimonium divinum, atque simul divino testimonio propter ipsum; unde neque admitti debent quædam discernicula ab aliquibus excogitata, quibus quilibet fidelis internoscit veritates fidei, distinguitque inter apparentia, & verè revelata; nam sæpè sæpius mysterium verum non magis verosimile proponitur à Prædicatore, vel Parocho, quàm mysterium falsò excogitatum; neque Catechumenus discernit inter falsitatem unius, & veritatem alterius; si enim li-

ceret admittere hæc discernicula, aperiretur facile via, ut unusquisque pro gustu suo crederet ea, quæ vellet, & diceret, se discernere inter illa vera, & alia falsa.

Tolerabilius quidem est, quod alij dicunt, de quo infra, nimirum aliquos Catechumenos, qui ex vi instructionis non habent fundamenta evidentia ad credibilitatem mysterij, quamvis ipsi fecerint, quod est ex se, adhuc posse aliunde habere sufficientem revelationis approximationem, non quidem à discerniculis, sed ab illustratione Spiritus Sancti, quæ nunquam deficit facienti, quod est ex se, & ratione cuius illa motiva, quæ se solis sufficientia non erant ad tolerandam omnem formidinem; at tamen ut affecta ea carentia retrahentium, & ducentium ad oppositum, quibus adjungitur illustratio superna, satis sunt ad approximandum divinum testimonium, ad eum modum, quo pondus ut unum, quod certè prævalere non potest ponderi ut duo, bilancem movet, ducitque deorsum, si in altera bilance non adsit pondus prævalens, aut æquale; quam quidem deorsum non duceret, si æquale pondus adesset in altera; sic enim intellectus Catechumeni proposita ea prædicatione evangelica, atque affecta carentia retrahentium, seu ducentium ad oppositum, absque ulla formidine inclinatur ad assentiendum ex motivo prædicationis ad esse testimonium divinum, cui fundamento moventi superadveniens illustratio Spiritus Sancti, quæ semper ducit ad verum, nec ducere potest ad falsum, manet jam intellectus illius expeditus, ut ex imperio piæ affectionis eliciat actum fidei innitentem divino testimonio; ita, ut sine motivo evidenti credibilitatis, vel illustratione supplente talem evidentiam, nunquam possit actum fidei circa mysteria revelata elicere. Hoc enim tolerabilius esset, ut infra dicemus, videatur interim Cardenas supra propositiones ab Innocentio XI damnatas dissertatione 14. cap. 3. art. 2.

Objicies 3. ex Guilielmo Parisiensi: si divina fides inniteretur alicui objecto formali, non gauderet laudabilitate, quæ in eo consistit, ut credantur mysteria revelata absque ratione suadente illa; ergo actus divinæ fidei non habet divinum testimonium tanquam objectum formale motivum, sed præcisè affirmat, quia Deus præcipit. Confirmatur 1. Si crederemus mysteria fidei propter DEUM non potentem falli, nec fallere, non amplius ei tribueremus, quàm homini, propter quem positò, quòd non posset fallere, nec falli firmiter crederemus, quæ diceret, ergo &c. Confirmatur 2. Potest DEUS homini nihil cogitanti de veritate DEI in cognoscendo, & dicendo præcipere, ut assentiatur Scripturis canonicis in ipsius DEI obsequium, quin quærat assentiendi rationem; ergo &c. Confirmatur 3. Actus fidei est à DEO præceptus; ergo habet pro objecto formali divinum præceptum. Respondet deo neg. ant. nam laudabilitas fidei stat in eo, quòd

quòd credantur super omnia illa, quæ destituta sunt ratione intrinseca à priori, & à posteriori distincta quidem ab autoritate DE I dicentis; unde, quia tota fundatur in ipsa DE I auctoritate revelante, licet Deus revelet, quæ supra caput nostrum sunt, fides est multum laudabilis; sic charitas non habet multum laudabilitatis, eò quòd amet Deum propositum, ut aliquomodo bonum, sed quia eum cognitum ut maximum omnium bonum super omnia diligit.

172. Ad primam confirmationem neg. ant. nam testimonium divinum ita est objectum formale motivum fidei nostræ, ut propter ipsum assentiamur rebus à Deo dictis potius, quam dictis à quocunque alio, in quo stat assensus super omnia; illa enim infallibilitas propria primæ veritatis competit testimonio divino ratione primæ veritatis, à qua informatur, non autem convenit creaturæ, cui convenire non potest prima veritas, nisi participativè, neque convenire potest intrinsecè, sed extrinsecè, v. g. ex decreto Dei de nunquam concurrente cum tali creatura ad activam, vel passivam aliquam deceptionem; unde incomparabiliter magis tribuitur per actum fidei Deo, quam creaturæ. Ad secundam confirmationem neg. ant. supposito enim, quòd Scripturæ in se non appareant veræ, nec earum veritas reveletur à Deo, ut creatura in divino testimonio habeat assentiendi motivum, nec Deus posset præcipere, nec homo teneretur ad eliciendum actum divinæ fidei; intellectus quippe non potest assentiri maxime assensu infallibili, qualis est actus divinæ fidei, nisi objecto vel in se, vel in alio apparenti vero, cumque in tali casu Scripturæ canonicæ nec in se, nec in aliquo formali objecto apparenter veræ, exinde nec Deus posset ita præcipere, nec homo teneretur obedire. Ad tertiam confirmationem dist. ant. est præceptus tanquam materia præcepti, conc. tanquam sine motivo suo eliciendus, neg. ant. & consequens, qui est præceptus præcisè, ut materia præcepti, non movetur ex præcepto, sed ex motivo requisito ad eliciendum actum illum virtuosum juxta naturam virtutis. Sic actus charitatis præceptus, ut ipsi Adversarii fatentur, non habet pro motivo præceptum, sed unice bonitatem divinam, quæ est motivum formale actus charitatis; idemque est in actu cujusvis virtutis distinctæ ab obedientia.

173. Objicies 4. contra secundam conclusionem ex hæreticis; si per fidem crederemus ea, quæ supra caput nostrum sunt, imprudenter faceremus; sed actus divinæ fidei nequit esse imprudens; ergo non possumus per fidem credere, nisi quæ capere possumus; proindeque motivum divinæ fidei aliud esse non potest, nisi humana ratio. Resp. dist. ant. si crederemus ea neque in se, neque in alio representata ut vera, conc. quæ saltem in alio representata sunt ut vera, neg. ant. & consequentiam. Ratio est, quia, ut quis prudenter agat, necessarium non est, ut ratione naturali ea, quæ dicuntur, in-

telligat; sed sufficit ei, si alia via proponantur vera, v. g. si hic, & nunc proponantur motiva evidentiæ credibilitatis rei, cui præstat assensum; ita, ut quamvis per illa motiva mysteria fidei non videantur evidentiæ in se, videantur nihilominus esse prudenter credibilia, & absque formidine ulla credenda, quæ omnia jam adsunt ad credenda mysteria nostræ fidei, quæ intellectus in se ipsis capere non potest, ut diximus à num. 145. & latius infra dicemus, quando agemus de motivis credibilitatis.

Objicies 5. contra tertiam assertionem: i. deò Deitas, licet sit radix veracitatis, & sapientiæ, non attingitur ab actu fidei, quia fides tantum curat, quòd Deus sit verax, & sapiens, undecumque proveniant veracitas, & sapientia; ergo pariter fides non curabit, nisi de sola rei credendæ veritate, undecumque proveniat, vel à revelatione, vel à veracitate, & sapientia vel à sola Deitate, vel aliunde, quod satis est, ut Deitas præscindens à veracitate, & sapientia possit esse objectum formale divinæ fidei. Hoc argumentum laudat valde Arriaga, dicens à nemine factum esse; at ni fallor, levissimum est. Quare

174. Respondeo neg. suppositum antecedentis, quia actus fidei divinæ attingit saltem realiter Deitatem; cum uniat potentiam intellectivam cum Deo, ut constat à num. 55. Quare non quærimus in præsentia, an non attingat realiter Deitatem; si enim per actum formalem divinæ fidei credimus DE O propter ipsius testimonium immediatè, quomodo non attingimus realiter Deitatem; aut quomodo potest quis assensu dari hominem, vel assentiri objecto, quia homo dicit, & non attingere realiter naturam humanam? quod autem quærimus, est, quænam sit ratio in Deo, propter quam infallibiliter, & firmiter adhæremus rebus à Deo dictis; hæc autem alia non est, nisi perfectio primæ veritatis, quæ neque falli, neque fallere potest; ita, ut alterutra ex his deficientibus manere non possit motivum sufficiens ad istum firmissimum assensum.

176. Objicies 6. ex Ripalda: excellentia Deitatis se ipsa immediatè confert tantam dignitatem suis testimoniis præscindendò à veracitate, & sapientia, ut removeat omnem irreverentiam intellectus, eundemque cogat ad reverentiam: atqui dissensus adhibitus testimoniis Dei est irreverentia, & consensus est reverentia intellectus erga Deum; ergo Deitas se ipsa mover nostrum intellectum, præscindendò à veracitate, & sapientia ad assensum divinæ fidei. Confirmatur. Majestas Regia in humanis immediatè confert dignitatem suis testimoniis; ita, ut cum pari sapientia, ac veracitate majorem incurrat irreverentiam, qui Regi, quam qui homini privato contradicit; quod certè signum est, testimonium regium magis, quam privatum conciliare fidem; ergo majestas Deitatis præscindendò à veracitate, & sapientia immediatè se ipsa dignificabit sua testimonia.

177. Resp. neg. maj. quia Deitas, si sit radix veracitatis.

racitatis, & sapientiæ, & intellectus præscindat ab his Deitatis perfectionibus, præscindet etiam à motivo infallibilizante dictum; sicut enim intellectus, si conciperet DEUM potentem falli, aut fallere, conciperet imperfectionem, ratione cujus non posset adhibere firmissimum assensum rebus, quia à Deo dictis; & præscindendò ab illis perfectionibus, præscindit ab eo, quòd possit adhibere talem assensum, proindeque perfectionibus illis præcisus, præscinditur quoque à motivo requisito ad assensum fidei divinæ. Ad confirmationem neg. ant. nam Regia majestas in humanis non quidem se ipsa, & immediatè, sed medià sapientià, & veracitate, quæ in Rege aliquid asserebant præsumuntur, movet ad assensum, ac proinde assensus ille immediatè innititur sapientiæ, & veracitati Regiæ, ut diximus n. 150.

178. Objicies 7. ex eodem: licet DEUS non apprehendatur verax, & sapiens, si tamen apprehendatur attestari aliquid, apprehenditur attestari illud ut DEUS; sed hoc sufficit, ut apprehendatur, esse infallibiliter verum, quòd attestatur; ergo Deitas præcisà à veracitate, & sapientià sufficit ad objectum formale motivum divinæ fidei. Consequentia tenet; & min. videtur evidens. Major verò probatur. Deitas, sicut se ipsa exigit omnem perfectionem, sic repugnat omni imperfectioni, ac proinde falsitati; ergo; ut apprehendatur, aliquid esse infallibiliter verum, satis est, quòd Deus ut Deus apprehendatur illud testificari. Confirmatur. Cum assensu Dei testificantis componitur dissensus rei ab ipso Deo testificatæ: quandoquidem ultra obsequium adhibitum assentiendò Deo testificanti, manet novum meritorium obsequium adhibendò assensum rei à Deo testificatæ; atqui, si veracitas, & sapientià, & non potius sola Deitas essent objectum formale motivum fidei, non posset componi dissensus rei testificatæ cum assensu Dei testificantis, neque posset dari novum meritorium obsequium assentiendò rei à Deo testificatæ, quandoquidem intellectus assentiens testificantem esse sapientem, & veracem in dicendo, manet necessitatus ad assentiendum rei testificatæ: ergo &c.

179. Respondeo dist. maj. apprehenditur attestari illud ut Deus præcisus ab eo, quòd possit fallere, & falli, conc. ut Deus positivè impotens fallere, & falli, neg. maj. & distincta pariter minori neg. conseq. Ad probationem dist. ant. sic repugnat omni imperfectioni formaliter in hypothesi, de qua loquimur, neg. radicaliter, subdist. si concipiatur ut radix omnis perfectionis, conc. si concipiatur Deitas ut præcisà à radice omnis perfectionis, neg. ant. & consequentiam. Ratio est, quia Deitas, ut dixi à num. 90. de Deo, essentialiter, & metaphysicè constituitur ex omnibus perfectionibus necessariis absolutis, ac proinde ex veracitate, & sapientià; at in sententià Adversariorum, in qua loquimur, constituitur vel ex Entre à se,

vel ex alia perfectione absoluta contra distincta à veracitate, & sapientià, licet illa perfectio adæquatè constitutiva Deitatis sit radix virtutis aliarum perfectionum, ac proinde veracitatis, & sapientiæ; in hac ergo hypothesi Deitas se ipsa formaliter, & immediatè non excludit omnem imperfectionem, sed medijs perfectionibus; quas ipsa exigit; sic aqua immediatè ratione sui non excludit calorem, sed mediante frigiditate, cujus est radix; sic omnipotentia immediatè ratione sui non est dealbata parietis, sed mediante albedine, quam virtute sua producere potest. Unde, sicut omnipotentia præcisà à virtute productiva albedinis, concipitur præcisà à virtute dealbandi parietem; ita Deitas præcisà à radice veracitatis, & sapientiæ, concipitur præcisà à virtute impotente fallere, & falli; ac proinde præcisà ab objecto formali motivo fidei in illa radice.

Ad confirmationem neg. maj. si sermo sit de assensu fidei divinæ, de quo loquimur, etenim cum assensu divinæ fidei circa divinum testimonium, non solum est impossibilis dissensus rei testificatæ, verum etiam est impossibilis quæcunque formido, ut constat ex Innocentio XI. inter sexagintaquinque propositiones damnante vigesimamprimam, quæ sic habebat: *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solam probabili revelationis, imò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus: quare obsequium proprium actus fidei non stat in eo, quòd excogitaverat Ripalda, sed in eo, quòd postquam per motiva credibilitatis affecta illustratione Spiritus Sancti necessaria ad supernaturalem actum piæ affectionis voluntatis, firmiter assentitur intellectus Deum testificantem, manet liber saltem quoad exercitium ad hoc; ut relictis illis inferioribus motivis, altius ascendant, & assentiat mysterio testificato propter motivum excellentissimum, quale est testimonium primæ veritatis. Postquam enim elicitus est assensus DEI testificantis propter illa credibilitatis motiva valde inferiora ad meritum motivi primæ veritatis testificantis, potest voluntas imperare superiorem assensum fidei, non quidem innitentem illis inferioribus motivis præviis, sed potius jam illis relictis innitentem unice testimonio Dei loquentis, ut contra alios oppositum docentes declaravit Innocentius XI. damnans vigesimamnonam propositionem, quæ sic habebat: *Voluntas esse non potest, ut assensus fidei sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impotentium.* Cum autem voluntas libera sit saltem quoad exercitium ad imperandum assensum altiore, licet non posset imperare dissentium, ideoque non esset libera quoad speciem; manet tamen libertas quoad exercitium, quæ certe ad meritum satis est; verum de his infra. Videatur interim Eximius Doctor disp. 3. de fide lect. 12. à num. 6. & disp. 4. sect. 5. num. 6. Objicies 8. contra alteram partem eisdem conclusi-*

conclusionis: præmissæ movere possunt ad conclusionem, quin conclusio attingat intrinsecè objectum præmissarum: ego etiam Veracitas divina potest movere ad assensum divinæ Fidei, quin actus Fidei habeat pro objecto formali Veracitatem divinam, sed solam Veritatem, aut solam Deitatem. Confirmatur 1. Post assensum fidei adhibitur mysterio revelato v. g. Trinitatis, elicit intellectus alios assensus circa idem mysterium, qui non habent pro motivo intrinsecò authoritatem DEI loquentis, sed sunt actus fidei; ergo non requiritur ad actus fidei authoritas DEI loquentis tanquam formale motivum intrinsecum. Confirmatur 2. A sola Dei veracitate provenit infallibilitas rei à Deo dictæ, tum etiam provenit à sola cognitione primæ veritatis; ergo utraque hæc perfectio sola est adæquatum objectum formale divinæ fidei.

132. Respondeo omitto antec. & neg. conseq. quia in sententia Auctorum docentium, non requiritur ad conclusionem, quòd attingat intrinsecè objectum materiale præmissarum pro formali suo motivo, satis est ad conclusionem, quòd procedat ex præmissis; ad eum modum, quo actus imperatus procedit ex imperante, qui amplectatur motivum imperantis: at hoc non sufficit ad fidem divinam, sive ad actum formalem fidei, licet ad conclusionem Theologicam, vel ad actum fidei objectivæ satis sit; ad actum quippe formalem fidei requiritur, quòd intellectus assentiat intrinsecè propter testimonium DEI dicentis, sive quia Deus dicit, uniendò immediatè potentiam cum Deo, quod est formaliter, & intrinsecè attingere ipsum divinum testimonium; aliter actus ille non esset fidei formalis, sed objectivæ, ut diximus à num. 156. Hoc autem, ut infra videbimus, est etiam ingens discrimen inter actum forma-

lem fidei, & conclusionem Theologicam; nam conclusio Theologica satis est, quòd deducatur ex præmissis, non quidem unice assentiendò, quia Deus dicit, sed quia intellectus determinatur in præmissis ad assensum extremorum cum medio, manet exinde necessitatus ad assensum extremorum inter se; at actus formalis fidei non procedit eo modo, sed assentitur per simplicem, & intrinsecam adhesionem objecto, & quidem unice, quia Deus dicit, quod fieri non potest, nisi simul assentiendò testimonio Dei dicentis, ut constat ex dictis, præsertim à num. 62. Exinde

Ad primam confirmationem conc. maj. & dist. min. sunt actus fidei formalis, neg. objectivæ, conc. min. & neg. conseq. quia, si illi actus non habent pro motivo intrinsecò auctoritatem DEI dicentis, non uniant immediatè potentias cum DEO, proindeque non sunt actus formales fidei, ut constat ex dictis à num. 51. & 156. Ad secundam confirmationem neg. ant. quia ad virtutem veracitatis divinæ solum pertinet conformare dictum cum mente; ita, ut DEUS testificari non possit res aliter, ac cognoscit, quod est non posse mentiri; non autem est non posse falli: & ad perfectionem primæ veritatis in cognoscendò solum attingit cognoscere res, ut sunt in se, ita, ut Deus in cognoscendo falli non possit, quod non est, non posse mentiri, & fallere; cum autem ad infallibilitatè testimonij dicentis satis non sit, quòd fallere non possit, nec satis, quòd falli non possit, sed indispensabiliter requiratur utraque ista perfectio, ut constat à num. 147. exinde nulla ex his perfectionibus seorsim sumpta est sufficiens, & adæquatum objectum formale divinæ fidei; cætera argumenta, quæ hic fieri possent, clariùs, & faciliùs dissolventur disputatione sequenti.

## DISPUTATIO V.

## EXPONITUR NOSTRA SENTENTIA CIRCA OBJECTUM INCREATUM DIVINÆ FIDEI.

134. Deus quidem cum sit prima veritas, cui inniti debet actus divinæ fidei, ut ex tota disp. præcedenti constat, cumque triplex distingui soleat veritas à Theologis, scilicet veritas in essendo, veritas in dicendo, & veritas in cognoscendo; oritur exinde controversia apud Theologos, an omnes istæ sint de constitutivo objecti formalis divinæ fidei. Veritas in essendo est transcendentalis omni prædicato divino; cum nihil aliud sit, quàm prædicatum verum, & reale contradistinctum à chymærico, atque adeò veritas DEI in essendo est Deitas vera, & realis contradistincta à chymærica; sic etiam sapientia Dei, omnipotentia Dei, & quæcumque alia prædicata divina, cum sint vera, & realia, atque à chymæricis contradistincta, habent veritatè in essendo. Sic etiam quodcumque præ-

dicatum creatū habet veritatè in essendo; ita, ut ipsa cognitio falsa, quia est vera cognitio, quamvis falso affirmans, revera habeat veritatem transcendentalem in essendo. Veritas prima in cognoscendo, dicitur illa virtus intellectus, quæ est summa sapientia, & ratione sui infallibiliter habet omnia cognoscere, ut sunt in se, ita, ut nullum errorem committere possit in cognoscendo. Veritas in dicendo est illa voluntatis virtus, quæ strictiori nomine appellatur veracitas, ratione cuius DEUS, quæcumque dicit, conformatur cum mente; ita, ut nunquam possit dictum cum mente disformare. Dixi disp. præcedenti objectum formale increatum divinæ fidei non esse puram veritatem in essendo contradistinctam à veracitate, & sapientia; neque solam veritatem in cognoscendo, aut so-

lam